

dita tamen alio simili festo Trium Lectionum; et impeditis omnibus prædictis secundis Feriis illius mensis, tunc recitari poterit prima Feria sexta ejusdem mensis, pariter non impedita ut supra. Quod si in nulla Feria secunda vel sexta mensis possit de S. Vincentio Officium fieri, nec de ipso Memoria aliqua facienda est in tali mense.

✠ Si de S. Vincentio Officium in Feria secunda fuerit faciendum, neutras habebit Vesperas.

✠ Si vero Feria sexta faciendum fuerit, Feria quinta præcedenti dicentur Ps. 131. Meménto Dómine David. et ceteri cum suis Antiphonis, pag. 60. et seq.

Capitulum et Hymnus ut in Officio votivo S. Thomæ Aquinatis, pag. 889.

℣. Ora pro nobis beáte Vincéti. T. P. Allelúia. R̄. Ut digni efficiámur promissionibus Christi. T. P. Allelúia.

Ad Magnificat Antiphona Adsit nobis., pag. 494; Oratio Deus qui géntium multitudínem., pag. 493.

Hoc Officium terminatur in Nona, nec habet Memoriam in sequentibus Vesperis.

## VESPERÆ DEFUNCTORUM.

Singulis septimanis post Nonam diei Dominicæ, sive alterius diei, vel post prandium tempore jejunii, vel etiam post Vesperas præterquam in Quadragesima, si Priori melius videatur, dicantur Vesperæ pro Defunctis.

Antiphonæ et Psalmi dicantur ut in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, pag. 750. et seq.

Qui dicit Responsoria Horarum incipiat primam Antiphonam; ceteras incipiant Fratres in unoquoque choro secundum ordinem.

In Vesperis autem, dum Antiphonæ et Psalmi dicuntur, sedeant Fratres. Post ultimum vero Psalmum, ad ℣. Réquiem ætérnam. surgant et stet chorus contra chorum,